



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Subditis ordinandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

fit, tamen cum istis casibus præmissis, non ex vi officij, sed potius ex priuilegio speciali potestas ista personis prædictis comperat, nihil impedit quominus ordines conferendi potestas solis dicatur

cōuenire Episcopis. *Suarez. de cens. disp. 31. sess. 4. num. 28.*

Et his ita præsuppositis difficultates, quæ circa collationem Ordinū occurrere possunt articulatim videamus. Et primo

ARTICVLVS SECVNDVS. De subditis Ordinibus.

- 1 **E**piscopus ordinans non suum subditum, incurrit suspensionem.
- 2 Subditus quomodo efficitur quis.
- 3 Domicilium quomodo acquiratur.
- 4 Episcopus non potest ordinare ad minores non subditum.
- 5 Regulares ordinari non debent, nisi ab Episcopo loci.
- 6 Dimissorias habens potest ordinari à non suo Episcopo.
- 8 Dimissoria quomodo concedenda.
- 9 Dimissorias quis concedere possit.
- 10 Capitulum sede vacante, quomodo concedere possit dimissorias.
- 11 Regulares quomodo possint cōcedere dimissorias ad ordines suis Monachis.
- 12 Abbas habens in loco iurisdictionem ordinariam concedere potest dimissorias subditis loci illius.
- 13 Dimissoria morte concedentis an exsistent.
- 14 Familiaris triennalis non subditus, quomodo ordinari possit absque dimissorijs.
- 15 Episcopus nullatenensis ordinari non potest ratione familiaritatis.
- 16 Episcopi titulares, quibus Ecclesijs dantur.

In omni Subditos & Diocesanos suos debet ordinare Episcopus. *c. cum nullus. c. nullus. de temp. ord. in 6. c. primates. 7. dist. Host. in sum. tit. de temp. ord. sub num. 5. Conc. Trid. sess. 14. c. 2. & sess. 23. c. 8. de ref. vbi Ordinatore qui cōtra fecerit à collatione ordinum, in quibus peccauerit per annum, & sic ordinatum ab exercitio ordinis suscepti ad beneplacitum proprij Episcopi suspendit. ad hoc *Rot. decis. 731. num. 20 p. 1. diuers.* vbi dicit, hoc casu ordinatum esse suspensum ipso iure, ex ea ratione quod decretum cit. Conc. est irritans.*

Triplex autem quis efficitur subditus & Diocesanus Episcopi. Ratione

originis, ratione domicilij, & ratione beneficij *c. cum nullus. cit.* Et hoc ad effectum susceptionis ordinum, nam quoad alios effectus, plures possent enumerari modi, quibus quis subijcitur iurisdictioni alterius *c. 1. de sepult. c. 2. eo. tit. in 6.*

Ratione originis, vbi nimirum quis natus est *glos. in c. 1. v. alienigenas, de v. fur. in 6. & l. qui ex vico. ff. ad municip. dummodo natus sit non fortuito, vel in transitu, vt si noscatur in itinere, nam ita natus non dicitur trahere originem loci in quo nascitur, sed retinebit originem loci, in quo parentes ipsius haberent domicilium. *Abb. in c. Rodulphus. num. 9. de rescrip. Felin. ib. num. 13. Bart. in l. filios. c. de mu-**

de municip. & origin. Rip. in tract. de pefte. p. 2. de priuil. contract. caus. pefte. priuil. 18. num. 183. Castren. in l. huiusmodi. S. legatum. ff. de leg. 1. Barbat. conf. 52. secū dum quam distinctionem illud etiam accipiendum est, quod dicitur, inde quē trahere originem vbi fuit baptizatus, quod docet Bart. in l. 1. num. 8. ff. ad municip. Bald. conf. 183. lib. 2. Rebuff. in tract. de pacif. poss. num. 217. & in tract. de regest. num. 15. Et quomodo probetur origo, videri potest Mascard. de prob. conclus. 1141. vbi sub num. 21. docet originem probari etiam per librum baptismi, ad quod plura congerit Gonz. in Reg. 8. Canc. gl. 9 §. 1. à num. 105.

Ratione domicilij nimirum parentū, liberi enim domicilium parentum retinent. c. licet. de sepult. in 6. l. vn. vbi petant. tut. & praesertim impuberes, isti enim domicilium sibi eligere non possūt. c. licet. ca. vel si habitant simul cum parentibus, praesumuntur enim constituisse sibi idē domiciliū, nisi contrariū probetur. l. filios. ibi. si modo non domicilij retineantur. c. de municip. & orig. Bald. in l. fin. col. 2. post num. 7. c. si non a comp. iud. Nau. conf. 11. de temp. ord. in antiq. Et quidem domicilium patris, non matris. l. filios. C. de munic. & orig. nisi sit vulgo quæsitus, talis enim matrem sequitur. l. cum legit. imē. ff. de stat. hom. l. eius qui iustam. ff. ad municip. vel si desit patris domicilium, maternum erit sequendum. DD. in cit. l. filius. C. de municip. & orig. vel proprium, si illud alicubi constituerit, potest enim filius familias in annis pubertatis constituere sibi domicilium. l. placet. l. nihil. ff. loc. cit. ad municip. Constituitur autem domiciliū, cū quis in locum aliquem maiore partē bonorum transfert. l. ciues. C. de incol. & ibi cōtrahit & dies festos celebrat: aliter enim sola emptio domus, vel alicu-

ias partis bonorum, non facit domicilium. l. libertus. S. sola. ff. loc. act. cap. dilectus. 2. iun. glo. v. domicilium. de rescript. c. vt dominicis. iun. glo. 1. de Paroch. & alia glo. in c. nullus. cit. in 6. v. domiciliū. Host. in sum. de for. comp. num. 4. Sum. Ang. Arm. v. domicilium. Quod si bona non adsint, acquirere dicitur quis domicilium vbi habitat longo tempore & continuē, cum animo seu aliquo adiuncto actū, seu signo assumpti domicilij: vt si protestatur quis, se velle in certa vrbe domicilium figere. Abb. in cap. fin. de Paroch. cir. fin. vel si impetret priuilegium, quo ius ciuitatis obineat. Alciat. in l. pupillus. §. incola. ff. de verbo. signif. Dec. conf. 283. num. 11. Si vero nullus adfit externus actus assumpti domicilij, ex decem annorum habitatione praesumetur assumptum domicilium. Accurs. in l. heres absens. S. proinde. ff. de iudic. Bart. in l. lex Cornelia. §. sitamen. ff. de iur. Bald. conf. 311. vol. 4. Bursat. conf. 36. vol. 1. nisi adsit aliquod indicium, ex quo appareret illum non habere animum permanendi, quod accidit in Scholaribus. l. nec ipsi. C. de incol. Felin. in cit. c. dilectus. 2. num. 11. de rescript. Bartol. in l. quæsitum. ff. de leg. 3. alioquin manet iudicis arbitrio, qui facilius ex coniecturis in facto occurrentibus iudicare potest, an sit assumptum domicilium etiā momento, non expectata diuturnitate temporis. Abb. in cap. fin. num. 8. de Paroch. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. casu 86. cent. 1. Mascard. de prob. conclus. 535. Rot. decis. 105. num. 4. p. 2. diuers.

Ratione beneficij sortitur quis Diocesim, vbi nimirum obtinet Canonicē beneficiū Ecclesiasticum. cap. cum nullus. cit. in 6. Ioan. Andr. Franch. ibi. quia nimirum per beneficij possessionem acquiritur domicilium. cit. c. dilectus. 2. de rescrip. dummodo beneficiū sit curatū, seu

feu residentiã requirens. *Abb. in cit. c. dilectus. 2. num. 3. Felin. 16. Rebuff. in prax. de dispens. de non resid. num. 74. vnde Genuen. in prax. c. 48. num. 3. testatur seruari in curia Archiepif. Neap. vt aliquis nõ ordinetur absque dimissorijs ratione beneficij simplicis, sed cum textus præfertim, cit. c. cum nullus. non distinguat de beneficijs curatis vel simplicib. fortassis nec nos distinguere debemus, iuxta notata glo. in 6. v. Ecclesiasticũ. & Io. an. Andr. Franch. ib. Sed illud magis aduertendum, vt beneficium sit sufficiens, ad sustentationem iuxta arbitrium Episcopi. vt notat *Quaran. in Sum. Bullary. v. ordo.* Et caueri debet ne beneficium conferatur in fraudem, quo aliquis extrahatur ex aliena Diocesi, talis enim fraus non prodesset. *c. eos qui. iun. glos. v. figmento. de temp. ord. in 6. Quaran. loc. cit.**

In concurrentia autem diuersarum rationum quæ sita Diocesis, præferenda videtur ratio domiciliij, est enim potētius ius & forum domiciliij. *Ias. in l. si arrogator. num. 48. ff. de adopt. Soc. Iun. conf. 37. à nu. 9. lib. 1.* Et in dubio Diocesis appellatione intelligitur illa quæ est domiciliij. *Nau. conf. 4. num. 5. de constit. in no. Cas. de Graf. decis. 61. alias 15. de prob. vbi num. 10. refert. ita seruari in Rom. Curia, vt non origo sed incolatus attendatur, & hoc quoad commodum originis: alioquin enim quisq; originem suam retinere semper dicitur, ita, vt etiam voluntate sua illa se eximere non possit, cum mutationi originis lex resistat. *l. assumptio. ff. ad municip. l. origme. C. de municip. & orig. Felin. sup. cit. in cap. Rodolphus. a. num. 17. de rescript. sed tantum commoda originis amittuntur translatione domiciliij. Bart. in l. domiciliu. ff. ad municip. & in l. prædica. §. 1. ff. de fun. in fruct. Castren. in l. 2. §. legatis. ff. de iudic.**

*Socin. sen. conf. 79. a num. 12. vol. 4. Socin. iun. conf. 37. cit. Boer. conf. 13. & conf. 260. num. 33. Nisi non in toto relinquatur locus originis, tunc enim adhuc integra manent beneficia originis, præfertim personalia, cum ibi præsumatur semper retineri domiciliu. l. 1. C. de municip. & orig. Abb. in cap. accedens. 2. vt lit. non contest. num. 4. & in cit. c. fin. de Paroch. nec amittitur primum domiciliu, licet alio transferatur etiam maior pars bonorum, & constituatur aliud domiciliu, nisi adsint aliquæ coniecturæ, ex quibus appareat animus relinquendi primum domiciliu, cum etiam pluribus locis possit haberi domiciliu. *l. assumptio. l. eius qui manu misit. ff. ad municip. senatores. iun. glo. v. adiectionem. ff. de senat. l. in adoptionem. C. de adoptionibus. l. 2. C. de incol. hac ratione & plura beneficia obtinens, censetur habere plura domicilia, si in vtroque residere solet equaliter. Abb. in cap. postulasti. num. 4. de fo. comp. Felin. lo. sup. cit. in c. dilectus. 2. de rescript. num. 3. Et quando quis præsumatur reliquisse primum domiciliu, & assumpsisse alterum, colligi potest ex doctrina Bart. in l. de iure. ff. ad municip. Abb. lo. cit. num. in l. Felin. lo. cit. nu. 12. Bald. conf. 393. Fed. de sen. conf. 353. & seq. Petr. de Vbal. in tracta. de cau. Epif. & Paroch. c. 7. Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 1. cas. 86. sup. cit. à num. 7. Henriquez. in sum. lib. 10. de ord. Sacram. c. 22. §. 2.**

Ampliatur nostrum dictum principale, quod non sit ordinandus nisi subditus, vt procedat etiam in minoribus ordinibus, iura enim prohibitoria etiam de istis expressè loquuntur, vt patet ex tex. citatis, & ita tenuit Rota in vna Cremonen. pensionis. 3. Dec. 1582. decis. 732. p. 1. diuers. vbi sub. nu. 14. refertur idè fuisse declaratu à S. Cong. Conc. Quia nimiru eadem ratio militat in minoribus &

D prima

prima tonsura, quæ & in maioribus, ut notat *Franch. in cap. cum nullus. de temp. ord. in 6. Gem. 1b.* Et non minus peccatur in ordinatione ad minores, imò tum & à spirituali & à seculari potestate ordinatus subtrahitur, & ponitur fundamentum, sine quo reliqui ordines dari non possunt, quod notat *Rebuff. in prax. tit. de lur. dimiss. num. 16. Quar. loc. cit.*

Ampliatur secundo, ut neque ille ordinari debeat qui domicilium acquisiuit, si prius ab alio Episcopo ad alicuius Ecclesiæ seruitium fuerit ordinatus; talis enim inconsulto priore Episcopo, locum suum deserere non potest. *Conc. Trid. sess. 23. cap. 16. de ref. idem de illo qui fuerit ordinatus ab Episcopo originis, & postea translatò domicilio vellet ordinari ab Episcopo domicilij, tenet Quar. loc. cit.*

Ampliatur Tertio, ut hoc idem procedat, etiam si ordinandus esset persona bene cognita & sufficiens. *Dec. cons. 455. num. 7. Quar. lo. cit.*

5. Quarto extendit etiã ad Regulares, isti enim debent quoq; ordinari ab ordinario loci, in quo situm est Monasterium si teneat ordinationes, licet in ipsis non requirantur alij modi quærendæ Diocesis, ut ex decreto. *S. Cong. Conc. infra referendo patebit, & ordinatũ fuit à Leon. X. in Conc. Lateran. in Bulla moderationis privilegiorum Regularium quæ infra ponetur. ab hac tamen obligatione excepti sunt Patres Soc. Iesu, quibus Greg. XIII. indulget, ut à quocunque Antistite Catholico ordinari possint, ut ex ipso privilegij tenore infra referendo patebit.*

Quinto ampliari potest, ut neq; ille ordinari debeat qui nullius est Diocesis. *Conc. Trid. cit. sess. 14. c. 2. de ref. Vicinior tamen Episcopus quem semel locus ille carens proprio Diocesano semel elegerit, tales ordinare & dimisso-*

rias ipsis concedere posset; ut etiam respondit *S. Cong. Conc. Episcopo Cauen. 5. May. An. 1587.*

6. Ampliatur ultimo, ut neque Archiepiscopus sui suffraganei subditum, vel in eius Diocesi sine speciali ipsius permissione ordinare possit. *c. salvo. & seq. 9. q. 3. Host. in sum. de off. ord. num. 7.*

7. Limitatur autem. Primo ut non procedat in illis, qui literas commendatitias vel dimissorias habet à proprio Ordinario, isti enim licite à quouis ordinari possunt. *Conc. cit. sess. 6. c. 5. & sess. 23. c. 8. de ref.* Quod in tantum operatur, ut cū huiusmodi dimissis etiam dispensari possit, à non Diocesano Ordinatore, in casibus per Episcopum dispensari consuetis: concessa enim ordinandi facultate, videntur concessa ea quoq; sine quibus ipsa ordinatio expediri non posset. *c. præterea. de off. deleg. Host. in cit. sum. de seruit. in ord. circa fin. Abb. in cit. cap. præterea num. 3. super interstitijs tamen ad suscipiendum ordines per Conc. cit. sess. 23. c. 13. de ref. distinctis, dispensari nõ posse vigore literarũ dimissorialiũ, nisi hoc expresse concedatur in dimissorijs, praxis communis obseruat, hocq; vide responsum. à Sac. Cong. Episcop. Episcopo de Aleffe. die 9. Aug. 1593.*

Differunt autem commendatitiæ à dimissorijs, quia illæ ad effectum tantũ susceptionis Ordinum dantur, dimissoria vero etiam à iurisdictione dimittunt. *Sylu. Tinto. in tract. de ord. q. 8. art. 12. & quomodo dimissoria sola assertione ordinantis, assertentis se ordinasse cum literis dimissorijs, probentur, videri potest. Oldrad. cons. 15. num. 9. Accoramb. decis. 21. lib. 1. Put. decis. 363. lib. 1. Paris. de resig. lib. 4. q. 2. nu. 67. Rot. decis. 1064. p. 3. lib. 3. diuers.*

Concedendæ autẽ sunt dimissoria ex iusta causa, & prius examinari debet super

per habilitate ad suscipiendū Ordines ille qui petit dimitti. *Conc. cit. sess. 13. c. 3. de ref.* idq; in literis suis exprimere debet dimittēs; sua enim interest, nā si promoueretur dimissus indignus, vel sine prouisione sufficienti, nō ordinator, sed iste qui dimittit teneretur ad prouidendum ipsi. *c. si Episcopus de preb. in 6. Abb. in c. cū secundum. nu. 7. de preb. vbi infert, quod Episcopus ordinans alienam subditum propter commendaticias literas, non tenetur illum examinare, nisi sciret apertē esse indignum. Tutius tamen est, vt ordinator etiam habentem commendaticias à proprio Episcopo examinet: cum hoc facere possit, vt not. id Abb. in c. in cetera. ibi. num. 6. de preb. & Conc. cit. sess. 7. cap. 11. de ref. & præsertim si dimittens in literis suis nō facit fidem de sufficientia doctrinæ, morū honestate, sufficientia prouisionis promouendi. Imò etiam si faceret fidem de istis omnibus dimittens, si tamen ordinator sciret contrarium, non deberet ordinare, quia nō debet cōmittere rem illicitam ad petitionem illius, qui dispensare non potest. *Abb. lo. sup. cit. num. 8.**

9. Et vt de dimissorijs aliqua adhuc saltem magis necessaria attingamus. Dicendum quod dimissorias concedit Episcopus Diocesanus, vt patet ex *tex. Conc. Trid. cit.* Nisi fuerit excommunicatus, vel suspensus declaratus, tunc enim dimissoriæ ipsius non valerēt, sed subditi possent se facere ordinari à viciniore Episcopo; incumberet tamen ipsis onus probandi Episcopum esse excommunicatū. *c. 2. de temp. ord. in 6. Rebuff. in prax. tit. de dimissor. num. 19.*

Concedit dimissorias & Vicarius generalis Episcopi, dūmodo habeat specialem ad hoc commissiōem, alioquin ex generali cōmissiōe iurisdictionis, dimissorias concedere non potest. *ad di-*

*cta. Abb. in c. significasti. de off. Archid. Franch. Gemin. in c. cum nullus. de temp. ord. in 6. Pauin. de potest. cap. sed. vac. p. 2. q. 10. Mandos. in Reg. 24. Cancell. tit. 3. de male promotis. q. 6. a. nu. 8. imò & in casu. cit. c. cum nullus. videlicet cū Episcopus moratur in longinquis, tutius est vt Vicarius non cōcedat dimissorias, nisi habuerit speciale mandatū. *Rebuff. in prax. cit. de for. Vicar. num. 47. Iacob. Stroz. de vic. Epis. lib. 2. q. 41. nu. 12. Quar. in lo. cit.**

10. Capitulum quoq; sede vacante anno vacationis elapso dimissorias concedere potest, & ante annum elapsū, illis tantum qui beneficij receptione ad suscipiendos ordines arctatur, vel illis qui præstantur ad beneficium Ecclesiasticum, ad effectum suscipiēdi minores ordines, quo capaces fiunt beneficij suscipiendi. *Conc. cit. sess. 7. c. 10. de ref.* Imò hoc casu nimirum ad effectum suscipiēdi beneficium Ecclesiasticum, potest Capitulum sede vacante dispensare in casibus per Episcopum dispensari solitis. *Fed. de sen. conf. 3. 4. & 30. Gemin. in c. cum ex eo. nu. 7. de elect. in 6. Pauin. de potest. c. sed. vac. p. 1. q. 5. vnde & cum illegitimo dispensare posset, prout & Episcopus dispensat vigore. c. 1. de fil. presb. in 6. Abb. in c. cum olim. nu. 2. de maior. & obed. Nau. conf. 28. & 30. de temp. ord. in ant. q. quia videlicet facultas dispensandi dependet à iurisdictione, in qua capitulū sede vacante succedit, eamq; exercere potest in omnibus, præterquam in casibus expresse prohibitis. *D. D. in cit. c. cum olim. Fed. de sen. lo. cit. & conf. 40. Dec. in c. ar. si Clerici. §. de adulterijs. num. 150. de iudic. Pauin. lo. cit. q. 1. præsertim stante necessitate si sequimur. gl. in Clem. 1. v. Capituli. de heret. Felin. in c. cum olim. cit. num. 70.* Ex quibus consequenter dici posset Capitulum sede vacante dispensare posse in irregularitatibus facultate Episcopis*

concessa à Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de ref. vt Henriq. in sum. l. 14. de irreg. c. 20. S. 1. qui videri potest, & Gutier. lib. 1. Canon. quest. c. 3. nu. 10. sicut etiam ab excōmunicacione ab Episcopo absoluenda, & à casib. Episcop. reseruatīs potest absoluer. c. vn. de maior. & obed. in 6. Abb. in c. His qua circa fin. de maior. & obed. nimirū imminēte necessitate, vel si intelligamus dicto. c. 6. prorogari iurisdictionē Episcoporum, & non delegatā concedi ad notata per Hosti & Ioan. Andre. in c. ad abolendam. de heret. contrarium tamen tenet: Suarez. de censuris. disput. 41. sect. 2. num. 13. & securior videtur ipsius sententia, donec fuerit hoc dubium resolutum. à Sac. Cong. Conc. interpretum.

Capitulū quoq; sede vacante ante lapsum anni vacationis, obtinenti facultatem à sede Apost. de suscipiendo Ordine, à quocunq; Antistite Catholico cū licentia proprii ordinarij, (prout semper in concessionibus huiusmodi clausula de petenda ordinarij licentia apponitur) facultatem hanc subordinatam concedere potest. Nau. cons. 18. de temp. ord. in antiq. Quarant. loc. cit. v. Capitulum. Sed. vac. q. 10. fol. 139. Et insuper eodem anno durante Capitulum concedere potest Episcopo extero exercitium Pontificalium, & vt possit conferre ordines in Diocesi vacante quibuscunque, dummodo non subditis Diocesis vacantis. Abb. in cap. suffraganeis. post. num. 2. de elect. Henriq. in sum. lib. 10. de ord. c. 22. Archid. Domin. c. nullus. de tēp. ord. in 6. Nau. cons. 20. de temp. ord. in antiq. Quarant. lo. cit. q. 11. Eadem omnia Vicarius Capituli sede vacante potest: immò ad ipsum spectat hæ facultates, nisi sibi Capitulum aliquid specialiter reseruauerit. Gutierrez. lib. 1. Canon. quest. c. 11. nu. 10. Quarant. lo. cit. vers. Quarto dubiatur.

Extra permisos verò casus. Capitulum

concedendo dimissorias incurret Ecclesiasticum interdictum. cit. Conc. sess. 7. c. 10. de ref. & alij singulares concedentes dimissorias in casibus prohibitis, ab officio & beneficio per annum ipso facto efficiuntur suspensi. id. Conc. sess. 23. c. 10. de ref.

Dimissorias etiam concedunt Regulares superiores suis Monachis, tales enim in eorum monasterijs vices Episcoporum gerunt. glos. in Clem. 1. v. proprij. de reb. Eccles. non alien. & habent ibi iurisdictionem. c. quanto iun. glo. de off. ord. Abb. in cap. significasti. num. 2. de for. compet. & in c. 1. nu. 3. de reb. Eccl. non alien. & in. cap. fin. num. 1. de stat. Monach. Dec. in. cap. ad nostram. nu. 14. de appell. Nau. cons. 21. de temp. ord. in antiq. cit. in eis tamen concedendis debent tenere modum & formam præscriptam constitutione Clem. VIII. quæ sequitur.

De mandato S. D. N. Clementis Diuina prouidentia Pape VIII. tenore præsentium mandatur, omnibus & singulis quorumcunq; Regularium superioribus, vt de cetero obseruent, & obseruari faciant ea, qua in decreto Sac. Cong. Conc. Trid. continentur, cuius tenor est talis.

Cong. Conc. censuit superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui prædictis qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diocesenum, nempe illius monasterij, in cuius familia ab ijs ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit: etsi Diocesanus absuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quæcunq; alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & dū ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum, in id-

tem-

tempus quo Episcopus Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes, vel sedes Episcopalis vacaret. Verum cum à superioribus Regularibus Episcopo Diocesano absente, vel ordinationes non habente litera dimissoria dantur, in eis vtiq³ huiusmodi causam absentia Diocesani Episcopi, vel ordinationū ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod si Regulares ordinandi morētur in Monasterio nullius Diocesis, huiusmodi dimissorias concedendas esse per Episcopum viciniorem, in eoq³ procedere omnia quae de Episcopo Diocesano superioris prescripta sunt. Quod qui non fecerint officij & dignitatis seu administrationis, ac vocis actiuae & passivae priuationis, ac alias arbitrio eiusdem S. D. N. Papae reservatas poenas incurret. In quorū &c. Dat. Rom. die 15. Mart. An. 1596.

12. Concedentes autem dimissorias Abbates, seu alij quicumque superiores Regulares quantumvis exempti, alijs quam Monachis sibi subditis efficerentur, ipso iure suspensi per annum ab officio & beneficio. Conc. Trid. cit. sess. 23. cap. 10. de ref. Nisi Abbas seu alius superior Regularis haberet in aliquo loco iurisdictionem ordinariam: tali enim non obstare. cit. Cōc. decretū tenuit. Rot. in vna Salamantinen. iurisdictionis coram Seraphino die 9. May. 1594. in qua decisione cum plura alia scitu necessaria, de eisdē exemptis habentibus ordinariam iurisdictionem contineantur, eam maiori utilitati legēcium, hic inferere volui. Habetur etiam relata apud Genuen. in prax. cap. 83. num. 9. vt sequitur.

SALAMANTINEN. IURISDICTIONIS. R. P. D. Seraphino.

D^Vbitavi an Reuerendissimo Abbati obstet decretum. cap. 8. de ref. sess. 7. Item decretum. c. 10. sess. 23. Et quantum ad prius decretum Domini dixerunt nō obstare, quia cū loquatur, de ordinarijs, quorum appellatione comprehenduntur etiam inferiores in materia eis adaptabili, vt per Gemin. in cap. ordinarij. num. 3. cū alijs adductis. sub die 23. Oct. 1579. in hac eadem causa, sequitur Abbati hoc decretum non obstare, cum consuetudo de qua fit mentio in Bulla, sit talis, quae ne dum eximat, sed etiam tribuat iurisdictionem, quo casu territorium dicitur effectum propriae Diocesis Abbatis. Ioan. Andr. in cap. nimis. col. penul. ad fin. de iureiur. Anchar. in cap. postulasti sub nu. 45. de fo. comp.

Neque obstat quod non sit Ordinarius loci sed personarum, cum hac iurisdictione proveniat à consuetudine, non confirmata respectu locorum, quia est eadem consuetudo, de qua Papa testatur, alioquin si voluisset tantummodo eximere, non aitem intellexisse iurisdictionem ad Abbatem de consuetudine spectare, vtiq³ hac loca immediatē subiecisset sedi Apostolicae, prout in similibus exceptionibus fieri solet, quod clarē ex vsu subsequuto comprobatur. Aym. conf. 118. num. 2. & conf. 211. num. 8. nec non ex quatuor casuum exceptione, quae in non exceptuatis firmat regulam viribus vulgaribus, & ideo non sumus in nuda exemptione, sed in consuetudine quae ordinariam tribuit iurisdictionem. Hostien. in sum. de off. ord. num. 2. Abb. in c. cum contingat. num. 5. de fo. comp.

D 3

Non

Non obstat quod Reuerendissimus Episcopus velit visitare tanquam sedis Apostolica delegatus, quia Concilium hoc tribuit ordinarijs tantum; ipse autem in hoc loco non est talis, sed Abbas, visitatio enim p̄det ab ordinaria iurisdictione. c. 1. in fin. de cens. lib. 6. cum alijs allegatis. & quamuis decretum hoc deroget consuetudinibus, non tamen derogat confirmatis ut fuit resolutum.

Non obstat decretum. c. 9. sess. 24. quia non tollit iurisdictionem prefati. c. 8. sess. 7. loquentis de ordinarijs generaliter, quorum appellatione ut dictum est, tam Episcopi quam inferiores comprehenduntur. Præterea cum simpliciter loquatur de exemptis, non est trahendum ad eas Ecclesias, quæ habent proprios Prelatos iurisdictionem ordinariam habentes, non enim est verisimile, Concilium hoc casu voluisse subditos duplici onere visitationis grauari.

Quantum ad decretum. c. 10. sess. 23. Domini dixerunt, si ex consuetudine Abbas dabit literas dimissorias, dictum decretum ex rationibus supra deductis ei non obstare, cum huiusmodi consuetudo censeatur confirmata, uti consuetudo tribuens iurisdictionem, non autem exemptionem, & ideo non obstare. c. cum nullus. de temp. ord. in 6. non enim hoc ius ita Episcopo vel Episcopali dignitati cōpetit exclusiue ad alios, ut non possit cōsuetudine præscripta induci, ut tradit gl. ib. in verb. indultum. & ideo cum hic habeamus consuetudinem confirmatam, eam non tollit hoc decretum, ex his quæ alias deducta & decisa fuerunt.

Semel autem concessæ dimissoriæ, semper durant, nec expirant morte ciuili vel naturali concedentes, nisi per suc-

cessorem reuocentur. Card. in Clem. fin. q. 5. de elect. Nau. in c. placuit. de penit. dist. 6. num. 34. & 163. & cons. 48 de temp. ord. in antiq. gratia enim per mortem concedentis non expirat. c. si super. de off. deleg. c. si cui de præb. in 6. Gig. de pension. q. 91. a. num. 4. Vnde neque dimissoriæ concessæ à Capitulo expirat finita sedis vacatione. Imol. in c. 2. ne sed. vac. Rebuff. de for. dimis. num. 43. Qu. v. lo. cit. verbo. Capitulum sed. vac. vers. dubitatur secundo. Gestæ enim per capitulum tenent etiã finita capituli potestate. c. his quæ de maior. & obed. Fed. de Sen. cons. 16. allegatus per Lopez. ad Diaz. in pract. crim. c. 26. §. postquam vero dimissoria.

Limitatur secundo nostra propositio de subditis ordinandis, ut non habeat locum in familiari triennali, familiarem enim triennem ordinare potest Episcopus, licet fuerit ex aliena Diocesi. Cōcil. cit. sess. 23. c. 9. de ref. Ita tamen ut beneficium sufficiens statim ipsi conferat, id. Conc. ib. Et quidem etiam ordinando ad minores tenetur ordinator provide- re ordinato de beneficio, quia aimirum facultas promouendi familiarem, fundatur in collatione beneficij, & eadem ratio militat in minoribus etiam prima tonsura, quæ & in maiorib. ordinibus, & utrobique necessario requiritur prouisio beneficij. Franch. Gem. in c. cum nullus. de temp. ord. in 6. hocque declarasse S. Cong. Conc. testatur. Rot. decis. 731. nu. 3. p. 1. diuers. Paris. de resig. lib. 4. q. 2. num. 92. vbi. num. 91. refert eandem S. Cong. declarasse quod huiusmodi prouisio possit assignari, etiam in patrimonialibus bonis dummodo sufficientibus.

Dicitur autem familiaris, qui semper assistit Episcopo, & qui est ipsius continuus commensalis domesticus. cap. fin. de verb. signif. in 6. Gem. ib. not. vlt. non vero qui in lōginquo moratur, etiã si ibi sum-

139

141

ptibus Episcopi viuat. Maiol. lib. 4. de ir-
reg. c. 2. num. 5. Lopez. ad Diaz. in pract.
cit. crim. c. 26. vers. tertius casus. ratione-
que dant iidem, quia videlicet in longin-
quo degentis Episcopus mores cognos-
cere non potest, ob quem maxime respe-
ctum videtur hanc facultatem. Conc. cit.
indulisse Episcopis. Lopez. & Quarant.
loc. cit. An autem dispensari possit cum
familiaritatis triennali in casibus alias per
Episcopum dispensari solitis, videri potest
Nau. cons. 25. & 27. de temp. ord. in antiq.

15. Sublimitatur autem nostra propo-
sitione de familiari triennali ordinando, vt
non habeat locum in Episcopis titulari-
bus, isti enim ratione familiaritatis ne-
minem ordinare possunt. textus est ex-
pressus. Conc. cit. sess. 14. c. 2. de ref. in illis
verbis (etiam prae textu familiaritatis co-
tinuæ commensalitatatis suæ) Et hoc pro-

pterea, quod Episcopus titularis nō ha-
bet Diocesim, in qua familiaris efficia-
tur domiciliarius, nam neque ipse po-
test dici morari in domicilio proprio,
cum non habitet in propria Diocesi nec
habet beneficia de quibus prouideat
promouendum. Lopez. lo. cit. Vnde etiam
talis Episcopus titularis Pōtificialia nul-
libi exercere potest, nisi de licentia loci
Episcopi, vel in Diocesi ad quam fortē
constituitur Suffraganeus, vt plerumque
fit, c. quoniam de off. ord. Abb. ib. a. nu. 3. ad
fin. Eisdem titulares Episcopos non de-
bere dari nisi Ecclesijs Cardinalium,
vel illis quæ solitæ fuerint eisdem ha-
bere, idq; cum assignatione certi annui
stipendij ad minus Ducatorum auri du-
centorum de Camera, quos propria au-
thoritate percipere possint, deducit
Franch. Leo. in sua prax. c. 39. num. 17.

16.

ARTICVLVS III.

De Fœminis, Gentilibus, Infidelibus & Iudæis
non ordinandis.

- 1 Fœmina est incapax ordinis.
- 2 Hermaphroditus an possit ordinari.
- 3 Ordinari non potest qui nondum est baptizatus.
- 4 Baptizatum iterans incurrit irregularitatem.
- 5 Hæretici, Neophyti, Apostata ordinari non debent.
- 6 Occidens vel mutilans Sacerdotem ordinari non potest.
- 7 Episcopus excommunicatus vel Apostata ordinare non potest.
- 8 Excommunicatus, suspensus, ordinari non debet.

1.

Fœminæ non possunt ordina-
ri, & si ordinentur non reci-
piunt characterem. c. noua de
penit. & remiss. S. Tho. in 4.
dist. 25. q. 2. art. 1. Arch. in c. Diaconissam.
27. q. 1. Host. in sum. de temp. ord. num. 31.
S. sed & præter. & omnes communiter

Theol. & Canonista. Hermaphroditus
etiam si in fœmineum sexum magis de-
clinat, vel dubium sit ad quem declinet
magis ordinari non potest, & ordinatus
non reciperet characterem. Aug. verbo.
ord. 3. num. 21. ad quod citat. tex. cap. illite-
ratos. 26. dist. Arm. ver. Hermaphroditus.
num.

2.